BLASS

OBSERVATIONES IN PLATONIS CONVIVIUM

Sonderabdruck aus der

Festschrift für Theodor Gomperz

Wien 1902
Alfred Hölder
k. u. k. Hof- und Universitäts-Buchhändler
I., Rothenthurmstrasse 13

Friedrich Wilhelm Blass

OBSERVATIONES IN PLATONIS CONVIVIUM.

Scribo haec Tibi, Vir summe venerabilis, ex Thuringiae quodam vico prae aliis amoenissimo, congruo quidem atque conspirante cum libello de quo sum verba facturus. Tuum est, nobis mentem altasque cogitationes veterum philosophorum aperire, qua in re nescio an nemo inter nunc vigentes Tibi comparari possit; mihi concede ut in verbis nunc quidem commorer, quae illos viros, Platonem maxime, Musa docuit et eligere et struere, quaeque ne Tu quidem neglegere aut parvi facere soles, immo et ipse vim eorum acutissime sentire et aliis monstrare. Sunt autem haec pauca quae prolaturus sum omnia de *Platonis convivio*.

Non ignarus es me ante hos paucos menses librum edidisse de numeris, id est graece *ῥυθμοῖς*, quibus scriptores Attici orationis quae pedestris dicitur libros suos ita composuerint, ut evaserit aliquid quod vere sit, quod de Platonis libris dixit Aristoteles, *μεταξὺ ποιήματος καὶ πεζοῦ λόγου*, scilicet neque solutum neque severe vinctum. Nihil autem aliud fecerunt Thrasymachus eumque secuti ceteri, quam ut eum componendi modum, qui in lyrica tunc poesi vigebat, ad orationem scite accommodarent. Poetae lyrici, dithyramborum maxime, non iam strophas quasdam longiores inter se et numeris et modis exaequabant, ut primo carminis membro responderet vel decimum vel vigesimum, secundo autem undecimum vel vigesimum primum, et sic porro, sed proxima quaeque pariter struebant, ut Euripides fecit et alibi et in his Ionis versibus: *ἀλλ' ἐκπαύσω γὰρ μόχθους (a) | δαφνᾶς ὁλκοῖς (b) | χρυσέων δ' ἐκ τευχέων ῥίψω (a') | γαίας παγάν (b') | ἂν ἀποχεύονται (c) | Κασταλίας δῖναι (c') νοτερὸν ὕδωρ βάλλων (d) | ὅσιος ἀπ' εὐνᾶς ὤν (d') | εἴθ' οὕτως αἰεὶ Φοίβῳ (e) | λατρεύων μὴ παυσαίμαν (e')*. Itidem fecerunt oratores et philosophi, nisi quod erat eis summopere cavendum, ne plane carmen fieret quod carmen fieri non deberet. Itaque neque in eodem numerorum genere, velut anapaestico sive paeonico, diu perseverabant, sed

μέχρι του (quod praecipit Aristoteles) id adhibebant, neque semper ex talibus membris orationem formabant, quae sua sponte inter se separarentur, ut haec quae modo apposui Euripidis, sed saepe numerorum terminos aliorumque principia quodammodo confundebant, ut non esset novi numeri principium syllaba proxima ab ea in qua prior numerus finisset, sed ipsius prioris, si ita fors ferret, tertia vel quarta ab extrema eadem prima novi numeri. Cum sententia autem ut pariter numeri excurrerent vel ab integra sententiae parte inciperent, neque poetae neque pedestres qui videbantur scriptores anxie curabant, etsi ut saepissime id usu veniret et apud hos et apud illos ipsa rei natura ferebat.

Verum etsi haec ita sunt ut dixi, tamen minime nescio quam vere locutus sit illud Empedocles: *μάλα δ' ἀργαλέη γε τέτυκται ἀνδράσι καὶ δύσζηλος ἐπὶ φρένα πίστιος ὁρμή.* Quaeritur enim, unde tandem haec tam nova tamque inaudita probentur. Respondeo rebus ipsis probari, quae inquirentibus ipsae sese ubique atque identidem offerunt, verum sedulo neque obiter quaerentibus: quas qui semel invenerit, ei iam firma fides innata erit: quippe casu vel fortuito effectas esse ab omni sana cogitatione procul abhorret. Praeterea et Isocrates de suis numeris diserte testatur neque plane obscure de suo dicendi genere ipse Plato. Sed nolo eis Te morari quae copiose alibi exposui; ad Convivium quo venturus eram venio. Id igitur scriptum ut alia Platonis eo dico compositionis genere, cuius summam modo indicavi, ab initio ad finem usque structum esse. Pone nunc hoc verum esse; videamus quid inde sequatur. Id nempe sequitur, ut putandum sit corruptelis quibus is libellus procul omni dubio passim infectus est etiam numeros hic illic confusos atque obscuratos esse. Non omni corruptela numerus perit: fac *γνώμη* pro *μνήμη* scriptum esse, vel *λόγοι* pro *λόγου*: nihil inde damni ad numeros venit; ne *λόγος* quidem pro *λόγου* damnum affert: sive enim consona excipit, habemus iambum, sive vocalis, pyrrichium; longae enim vocales sive diphthongi partem aliquam orationis finientes insequente vocali corripiuntur. Sed quamvis saepe numeri corruptelis non afficiantur, plerumque tamen afficiuntur. Et si non semper, ubi corruptela est, nulli sunt numeri, tamen utique, ubi nulli sunt numeri — *ἐξ ὑποθέσεως* loquor — ibi corruptela est: sicut in versibus potest salvo versu esse corruptela, sed versu pessumdato non modo potest esse corruptela, sed certo est. Sumemus igitur aliquem e multis Convivii locis, qui corrupti vel interpolati esse putantur, et interrogabimus de eo numeros, tanquam aliquem vatem, interrogabimus autem scite; est enim interrogandi quoque ars. Is autem vates haud absimiliter atque daemonium

Socratis nunquam ait, sed negat tantum atque renuit. Monstramus locum: fac non renuat; itaque penes nos iudicium est, utrum corruptum eum putare pergamus necne. Si pergimus, nempe medela est quaerenda, eaque monstranda vati, qui si non magis renuit licet ea medela uti; si renuit, aut alia quaerenda quam non renuat, aut relinquendus locus ut traditus est. Si autem renuerit monstrantibus verba tradita, de medelis eadem erit res, sed tradita pro sanis habere non licebit.

Examinavi equidem totum Convivium et ubique numeros inveni, etsi interdum non ante mutationem aliquam introductam. Iam igitur clamabunt fortasse homines: eam vero rem non esse ferendam: multos criticos in Convivio libidinem suam exercuisse, plura corrupisse quam sanasse — nihil enim obstat quominus ita dicant —; iam novam atque multo magis exitiabilem pestem imminere. Proscribi enim quaecunque non metricis quibusdam schematis, a magno Platone utique alienissimis, includi possint; quibus ipsi Batavi, crudelissimi homines, pepercerint, eis iam exitium iniustissimum parari. Sed si boni viri modo paullisper tacere atque audire voluerint, habeo profecto quibus vanos timores dissipem. Nisi quidem dirum atque nefandum est, quod non adeo raro pro *τε καὶ* traditis numeri simplex *καὶ* requirunt, vel contra *τε καὶ* pro *καὶ* tradito; aut abominandae audaciae, propter eosdem *ἐστίν* subinde delere vel *τοῦτο* vel *αὐτός*. Plerumque autem vates ne talia quidem sacrificia flagitat, sed contentus est neque amplius renuit, si *ἑαυτόν* scripserimus pro *αὑτόν* vel *τὰ ἄλλα* pro *τἆλλα* vel contra *κεἰς* pro *καὶ εἰς*, quod tamen rarius est, nam in universum non est appetens *κράσεων* quas grammatici dicimus. At ubi critici offenderunt, terna quaternave vel etiam plura verba resecuerunt, plerumque vates tradita non renuit, renuit coniecturam. Criticis quidem hominibus quam non faveat, ipse expertus sum. Etenim cum Convivium Platonis publicis praelectionibus identidem tractarem, et coniecturas quasdam feci in locos qui corrupti viderentur et de aliorum coniecturis traditisque diversis lectionibus iudicia tuli: quae cuncta cum iam compararem cum eis quae numeri monstraverant, vidi simul de me critico non optime iudicatum esse. Forsan iocari nunc videar atque cum Socrate *εἰρωνεύεσθαι;* ego vero plane serio dico, docere numeros Convivium non esse tantopere corruptum quantopere multi putaverunt; esse sane corrigenda non pauca, sed ea maiorem partem levissima; paucos locos, si ambitum totius scripti spectes, insigniorem labem contraxisse.

Enumerat Arnoldus Hug in editionis suae p. 204 quindecim Convivii locos, quibus dicit consensu criticorum interpolationes quasdam

convictas atque sublatas esse. Non renuunt numeri de his: 179 B *ὑπὲρ τοῦδε τοῦ λόγου*, 196 A *καὶ ὑγρᾶς*, 198 D *τοῦ ἐπαινεῖν ὁτιοῦν*; at de reliquis plerisque a criticorum consensu dissentire videntur. Inter quos locos unus est de quo hic pauca disserere iuvet. Damnant critici verba p. 181 C *καὶ ἔστιν οὗτος ὁ τῶν παίδων ἔρως*, praeeuntibus Schuetzio Wolfioque; est autem integer locus apponendus: *ἔστι γὰρ* (scil. *ὁ τῆς πανδήμου Ἀφροδίτης ἔρως) καὶ ἀπὸ τῆς θεοῦ, νεωτέρας τ᾽ οὔσης πολὺ ἢ τῆς ἑτέρας, καὶ μετεχούσης ἐν τῇ γενέσει καὶ θήλεος καὶ ἄρρενος. ὁ δὲ τῆς οὐρανίας πρῶτον μὲν οὐ μετεχούσης θήλεος ἀλλ᾽ ἄρρενος μόνον· καὶ ἔστιν οὗτος ὁ τῶν παίδων ἔρως· ἔπειτα πρεσβυτέρας, ὕβρεως ἀμοίρου· ὅθεν δὴ ἐπὶ τὸ ἄρρεν τρέπονται οἱ ἐκ τούτου τοῦ ἔρωτος ἐπίπνοι, τὸ φύσει ἐρρωμενέστερον καὶ νοῦν μᾶλλον ἔχον ἀγαπῶντες. καί τις ἂν γνοίη καὶ ἐν αὐτῇ τῇ παιδεραστίᾳ τοὺς εἰλικρινῶς ὑπὸ τούτου τοῦ ἔρωτος ὡρμημένους. οὐ γὰρ ἐρῶσι παίδων, ἀλλ᾽ ἐπειδὰν ἤδη ἄρχωνται νοῦν ἴσχειν κτέ.* Prima procul dubio corrupta sunt, et proposuit Usener *ἔστι γὰρ καὶ τοιαύτης θεοῦ*, quod recepit etiam Hug. In numeros autem haec sic rediguntur: – – *(τοὐ)ναντίον. ἔστιν γὰρ καὶ ἀπὸ τοιαύτης θεοῦ, νεωτέρας πολύ τ᾽ ἢ τῆς ἑτέρας* = *καὶ μετεχούσης ἐν τῇ γενέσει καὶ θήλεος καὶ ἄρρενος. ὁ δὲ τῆς οὐρανίας*, – ⏑ ⏑ – – –, ⏒ ⏑ ⏑ – – – ⏑ –, ⏑ – ⏑ ⏓ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –. In his bis est – ⏑ ⏑ = ⏑ ⏑ ⏑, quod unum est genus licentiae responsionis apud omnes hos scriptores legitimum. Retinui *ἀπὸ*, quo multo fit emendatio facilior, neque in praepositione tantopere offendi potest, etsi recte dicit Hug ceteroquin Pausaniam (cuius est haec oratio) non indicare ex Venere ortum Amoris. Tum sustuli *οὔσης:* confer in proximis *πρῶτον μὲν οὐ μετεχούσης — ἔπειτα πρεσβυτέρας*, non *πρ. οὔσης*. Pergunt numeri sic: *πρῶτον μὲν οὐ μετεχούσης θήλεος* . . = *καὶ ἔστιν οὗτος ὁ τῶν παίδων ἔρως*, ⏓ – ⏑ – ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏒; interiecta sunt *ἀλλ᾽ ἄρρενος μόνον* = *καὶ ἔστιν οὗτος ὁ*, ⏒ – ⏑ – ⏑ ⏒, ut exstet figura responsionis *abba*, frequentissima apud omnes post illam *aa bb cc*. — Nihil igitur in his mutandum, certe nihil eiciendum. Num igitur non recte offenditur? nonne eadem statim recurrunt: *ἐπὶ τὸ ἄρρεν τρέπονται?* At de his videbimus; pergamus igitur. *Ἄ(ρ)ρενος μόνον· καὶ ἔστιν οὗτος ὁ τῶν: παίδων ἔρως· ἔπειτα πρεσβυτέρας*, ⏒ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑ –; – *τα πρεσβυτέρας ὕβρεως* = *ἀμοίρου· ὅθεν δὴ ἐπὶ*, ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓. Iam cum commodo numerorum inseretur *τε* ante *τὸ:* – *πί τε τὸ ἄρρεν τρέπονταἴ οἱ . .: τὸ φύσεἴ ἐρρωμενέστερον*, ⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ – ⏑ ⏓, et *ἐκ τούτου τοῦ ἔρωτος ἐπίπνοι . .: καὶ νοῦν μᾶλλον ἔχον ἀγαπῶντες*, – – – ⏑ ⏑ ⏓ ⏑ ⏑ – –; itaque coniunctim ⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ – ⏑ ⏓ *(a)*, – – – ⏑ ⏑ ⏓ ⏑ ⏑ – – *(b)*, *ab ab*, quam

formam voco responsionis tertiam, a prima tenui discrimine separatam. Numquid igitur offensionis relictum est? Ex priore quae inter deas intercedit differentia *(οὐ μετεχούσης θήλεος)* sequitur ut *οὐράνιος ἔρως* puerorum tantum sit, non sicut *πάνδημος* vel puerorum vel mulierum; ex altera *(πρεσβυτέρας)* et *(τε)* hoc idem sequitur et alterum quod iam indicabit; commate igitur post *ἀγαπῶντες* interpungendum, non puncto. Sic facillima ratione et sine omni vi maiore locus persanatus esset, nisi restarent scrupuli duo. *Καὶ ἔστιν οὗτος ὁ τῶν παίδων ἔρως;* itaque videtur alter *ὁ τῶν γυναικῶν* esse, at non est, sed ut vidimus cum puerorum tum mulierum. Non licet quicquam eicere, sed mutare licet: *ὁ τῶν παίδων μόνων* eosdem numeros praebet. Atque respondent inter se (quod ad sensum attinet) *ἄρρενος μόνον* et *τῶν παίδων μόνων;* vox genuina intercidit propter receptam interpolationem *ἔρως*. Alter scrupulus etiam maior est. *Ἔστιν οὗτος ὁ τῶν παίδων ἔρως:* attamen de his eisdem amatoribus mox excipit *οὐ γὰρ ἐρῶσι παίδων*, et paullo infra: *χρῆν δὲ καὶ νόμον εἶναι μὴ ἐρᾶν παίδων.* Verum lenissima medela hanc quoque difficultatem removebimus. Post *οὐκ ἐρῶσι παίδων* additur: *ἀλλ' ἐπειδὰν ἤδη ἄρχωνται νοῦν ἴσχειν:* qui? nempe *οἱ παῖδες*, qui propterea non desierunt *παῖδες* esse, etsi mox desituri sunt. Perversum igitur *ἀλλά: ἀλλ' ἢ* requiritur, saepissime illud quidem cum *ἀλλά* confusum. Neque renuunt numeri: *οὐ γὰρ ἐρῶσι παίδων: ἀλλ' ἢ ἐπειδὰν ἤδη . .: τοῦτο δὲ πλησιάζει;* interiecta sunt *ἄρχωνται νοῦν: ἴσχειν τοῦτο (aa bb a).* Vocabulum autem *παῖδες* per ipsam hanc sententiam a sensu latiore ad artiorem traductum est. Antea enim: *οὐχ ἧττον γυναικῶν ἢ παίδων — ὁ τῶν παίδων μόνων — αὐτῇ τῇ παιδεραστίᾳ;* postea autem *μὴ ἐρᾶν παίδων — τὸ τῶν παίδων τέλος ἄδηλον*, id est eorum qui meri pueri sint neque dum maturitatis terminum attingant.

Venio ad alterum eiusdem Pausaniae orationis locum. P. 183 A in verbis *πλὴν τοῦτο φιλοσοφίας* omnes critici haerent; alii alia ratione medentur; nihil idem omnibus placet, nisi ut stant verba stare non posse. At in eisdem secundum numeros plane nulla est offensio. *(Πρὸς τὸ ἐπιχειρεῖν ἑλεῖν ἐξουσίαν ὁ νόμος) δέδωκε τῷ ἐραστῇ θαυμάστ' ἔργ' ἐργαζομένῳ: ἐπαινεῖσθαῐ, ἃ εἴ τις τολμῷ* (*-ῴη* codd.[1]) *ποιεῖν ἄλλ' ὁτιοῦν*, ⏑ – ⏒ ⏑ ⏑ – – – – – – – – ⏑ ⏑ –; tum *ὁτιοῦν διώκων καὶ βου-: -λόμενος διᾱπράξασθαι; πλὴν τοῦτο φιλοσοφίας τὰ μέγιστα καρποῖτ' (ἂν ὀνείδη. εἰ γὰρ) ἢ χρήματα βουλόμενος παρά του λαβεῖν ἤ*, – – ⏑ ⏑ ⏒ ⏑ ⏑ –

---

[1] Aut librorum fides plane nulla est, aut sunt formae optativi in *-ῷ -οῖ* apud Platonem admittendae, quicquid de poetis statuitur.

⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓; interiectis denique *ἂν ὀνείδη εἰ γὰρ* repetuntur proxima priora *τὰ μέγιστα καρποῖτ'*, ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓ (itaque *abb'a'*). Sed etsi salvi sunt numeri, verba tamen corrupta esse possunt. Ita profecto; sed num corrupta sint sedulo quaerendum est. Una igitur res criticos fugisse videtur: *καρποῖτ' ἂν ὀνείδη* non posse dici nisi de re ex qua boni fructus sperari poterant, sed mali, opprobria nempe, nascuntur, eamque rem utique indicandam esse. Ut tradita sunt verba, indicatur genetivo *φιλοσοφίας*, qui cum *καρποῖτο* construitur; neque enim minus recte (etiamsi sine exemplis aliis) dicitur *καρποῦσθαί τινός τι* quam *ἀπολαύειν τινός τι*. Iam igitur, explosa coniecturarum maiore parte, relictae sunt quaedam paucae, inter quas eminet *φιλοπονίας* Hertzii. Itaque si ante dictum esset vel de multitudine operum vel de magnitudine aut difficultate, recte se haberet *φιλοπονίας*; nihil autem dictum est nisi *θαυμαστὰ ἔργα*, id est mira atque insolita, ad quae invenienda ingenio opus sit; quid igitur aptius esse potest quam ipsum traditum *φιλοσοφίας*? Loquitur Pausanias, non Socrates; latiorem autem sensum *φιλόσοφος -εῖν -ία* et apud Aristophanem habent (*πυκνὴν φρένα καὶ φιλόσοφον ἐγείρειν φροντίδα* Eccl. 571) et apud Lysiam (24, 10: *τοιοῦτόν τι ζητεῖν καὶ τοῦτο φιλοσοφεῖν, ὅπως ὡς ἀλυπότατα μεταχειριοῦνται τὸ συμβεβηκὸς πάθος*) et apud auctorem orationis quae inter Demosthenicas est XLVIII: *οὕτω πεφιλοσόφηκεν ὥστε μὴ εἶναι ἀκοῦσαι ὑμᾶς τῶν συνθηκῶν* (§ 49), ne plura exempla afferendo longus sim in re minime dubia. Neque vero articulus ante *φιλοσοφίας* (quem renuunt numeri) iure desideretur, cum constet talia vocabula saepissime sine articulo dici. Et apte comparatur Reipublicae locus (V, 457 B): *ἀτελῆ τοῦ γελοίου σοφίας καρπὸν δρέπων* (alluditur ad Pindari frg. 209 Bgk.), ubi haec est constructio: *δρέπων* (scil. *ἀπὸ τῆς*) *σοφίας ἀτελῆ καρπὸν τοῦ γελοίου* = *καρπούμενος σοφίας γελοῖον ἀτελές*. Conferas Schneiderum. Fuerunt qui eicerent vel *τοῦ γελοίου* vel *σοφίας*, hoc quidem cum damno allusionis; sed non sinunt numeri: *(τούτων δ' αὐτῶν τὰ ἐλαφρότερα) ταῖς γυναιξὶν ἢ τοῖς ἀνδράσι δοτέον . .: (γυ)μναῖς γυναιξὶ τοῦ βελτίστου ἕνεκα γυ-*; interiecta sunt *τοῖς ἀνδράσι δοτέον διὰ τὴν τοῦ γένους ἀ-: -σθένειαν. ὁ δὲ γελῶν [ἀνὴρ] ἐπὶ γυμναῖς γυναιξὶ*; tum *-μναζομέναις ἀτελῆ τοῦ γελοίου: -σι δοτέον διὰ . . γέν. ἀ-: ὁ δὲ . . ἐπὶ γυμν. γυν.*; porro *-λοίου σοφίας δρέπων καρπόν . .: ἐφ' ᾧ γελᾷ οὐδ' ὅ,τι πράττει*; interiecta sunt *οὐδὲν οἶδεν: ὡς ἔοικεν*; tum *οὐδ' ὅ,τι πρ. κάλ-: -λιστα γὰρ δὴ τοῦτο; γὰρ δὴ τοῦτο καὶ λέγεται καὶ λελέξετ(αι) . .: αἰσχρόν. Παντάπασι μὲν οὖν. Τοῦτο μὲν τοί-*; interiecta sunt *ὅτι τὸ μὲν ὠφέλιμον: καλόν τὸ δὲ βλαβερὸν αἰ(σχρόν)*.

Tertio quodam eiusdem orationis loco (185 A) delet Hugius cum Cobeto *καὶ μὴ λάβοι χρήματα,* mox ipse solus *διὰ τὴν φιλίαν ἐραστοῦ* et *(B) καὶ οὐ κεκτημένου ἀρετήν*, multusque est in declarando sententiarum harum structura non modo antithetica, sed ut appellat antistrophica, quapropter etiam delet quorum in antistropha nihil simile reperiatur. Cobetus autem non sine causa illa *καὶ μὴ λάβοι χρήματα* puerilis interpretationis esse dicit. Videamus igitur numeros. *(Ἐπὶ δὲ τοῖς ἄλλοις πᾶσι καὶ ἐξαπατωμένῳ αἰσχύνην) φέρει καὶ μή. εἰ γάρ τις ἐρα-: -στῇ ὡς πλουσίῳ πλούτου ἕνε-; πλούτου ἕνεκα χαρι-: -σάμενος ἐξα-πατη-; -πατηθείη ἀναφανέντος . .: (ἧτ)τον αἰσχρόν· δοκεῖ γὰρ ὁ τοιοῦ-(τος);* interiecta sunt *-τος πένητος: οὐδὲν ἧττον* (sive *πένητος οὐ-: -δὲν ἧττον αἰ-*), etiam cum verborum similitudine, quae sicut in poetarum antistrophis frequenter ad numeros accedit; *(τοιοῦ)τος τό γ᾽ ἑαυτοῦ ἐπιδεῖξαι . .: κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον κἂν;* intercedunt *-ξαι ὅτι ἕνεκα χρημά-: -των ὁτιοῦν ἂν ὁτῳοῦν* et *-οῦν ὑπηρετοῖ: τοῦτο δ᾽ οὐ καλόν* (itaque *a bb cc a.*) In his omisi non tantum *καὶ μὴ λάβοι χρήματα*, sed etiam *τοῦ ἐραστοῦ* post *ἀναφανέντος*, et *ἑαυτοῦ* scripsi pro *αὐτοῦ*, si est ea mutatio (ΤΟΓΕΑΥΤΟΥ) et *δὲ* pro *δή*, quae particulae saepissime inter se commutantur. In eis quae iam excipiunt insolita est et durior constructio *κἂν εἴ τις . . ἐξαπατηθείη . . ὅμως καλὴ ἡ ἀπάτη*, unde Hirschig *καὶ* pro *κἂν* scribendum esse coniecit. *Τις ὡς ἀγαθῷ χαρισάμενος καὶ ὡς ἀμεί-: -νων ἐσόμενος διὰ φιλίαν ἐραστοῦ ἐξ-; ἐραστοῦ ἐξαπατηθῇ ἀναφανέντος ἐκείνου . .: κεκτημένου ἀρετὴν ὅμως καλῆ ἡ ἀπάτη· δο-;* interiecta sunt quattuor syllabae *κακοῦ καὶ οὐ = κεκτημένου.* In his nihil recisum est praeter *εἰ* post *κἂν* et *αὐτὸς* post *ὡς* et *τὴν* ante *φιλίαν.* Atque patet aut *τὴν φιλίαν τοῦ ἐραστοῦ* scribendum esse (quod sunt qui fecerint) aut utrumque articulum omittendum. De *αὐτός* nihil dico, adeo est supervacaneum; sed propter *εἰ* omissum videlicet etiam *ἐξαπατηθῇ* pro *-θείη* codicum scribendum fuit, quo facto deminuta est similitudo inter stropham quam Hugius dicit et antistropham. At cum commodo sententiae: hoc enim est ad quod tendit Pausaniae oratio, *τὸ χαρίζεσθαι ἀρετῆς ἕνεκα*, illud extrinsecus assumptum est, *τὸ πλούτου ἕνεκα,* pro quo potuit pari iure aliud assumi, velut *πολιτικῆς δυνάμεως ἕνεκα* (v. 184 A), quae differentia verbi modo mutato declaratur. Sunt autem in ‘antistropha’, ut par erat, omnia dilatata atque amplificata, qua in re non debebat Hugius offendere.

Video ante me campum latum atque patentem, sed est cohibendus impetus et ad finem flectenda haec dissertatiuncula. Itaque inspiciamus unum praeterea locum, qui est in oratione Aristophanis (190 D): *ταῦτ᾽*

εἰπὼν ἔτεμνε τοὺς ἀνθρώπους δίχα, ὥσπερ οἱ τὰ ὄα τέμνοντες καὶ μέλλοντες ταριχεύειν, ἢ ὥσπερ οἱ τὰ ᾠὰ ταῖς θριξίν. In his *ὄα* Ruhnkenii et Valckenaerii est praeclara emendatio pro *ᾠά* librorum: *ὄα* enim aperte et Timaeus legit, qui hanc glossam habet in lexico suo, et Pollux, qui (VI, 97) haec scripsit: *μέσπιλα, ἃ καὶ ὄα καλεῖται, καὶ τοὔνομά ἐστι παρὰ Πλάτωνι τοῦτο, ὡς παρ' Ἀρχιλόχῳ ἐκεῖνο.* Nisi quod si ΟΑ scripsit Plato, id ancipitis interpretationis est; potest enim et *ὄα* esse et *οὖα*, quam formam habemus (ut taceam de aliis) et apud Hippocratem (II, 500 Littr.) et apud Theophrastum (*Φυτ. ἱστ.* III, 2, 1 al.).[1] Turpiter autem detruncarunt locum Convivii critici non pauci deleta altera similitudine *ἢ ὥσπερ οἱ τὰ ᾠὰ ταῖς θριξίν.* Haec vero inter se et numero et sono ipso respondent: *δίχ' ὥσπερ οἱ τὰ οὖα τέμνοντες* et *ἢ ὥσπερ οἱ τὰ ᾠὰ ταῖς θριξίν* (itaque non est omittendum alterum *οἱ* cum *B*); media in aequales partes ut alias discedunt: *καὶ μέλλοντες = ταριχεύειν;* prima *ταῦτ' εἰπὼν ἔτεμνεν τοὺς ἀνθρώπους* numero repetunt priora proxima: *(πο)ρεύσονται σκέλους ἀσκωλίζοντες.*

Vides, Vir doctissime, meam rationem artis criticae faciendae, quae ratio ut Tibi quoque placeat vehementer equidem cupio. Est autem ex fructibus et arbor iudicanda et ratio critici; vide igitur num hi quos speciminis causa fructus proposui probi Tibi videantur.

---

[1] Alios locos v. ap. Ruhnkenium (ad Timae. p. 189). Arboris nomen apud Theophrastum et *ὄη* scribitur et *ὄα* et *οὔα* et *οἴη*, falso accentu utique, cum *ὀῆ* esse debeat, cf. *σῦκον — συκῆ.*

Halis a. S.

F. Blass.